



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De probatione patientiæ. Cap. XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

hoc est, sine perturbatione tristitiæ. Prima virtuosa est, & meretur supplicium: secunda cauta, & euadit temporale dispendium: tertia virtuosa, & meretur gratiam in præsentibus, & gloriam in futuro.

De probatione patientiæ.

CAP. XXXV.

OMNIS passio aut est ex eo quod negantur, vel auferuntur nobis concupita & amata: aut quod inferuntur & intentantur nobis odio habita & nociua, quæ possumus diuidere in quinque, in quibus patientia discernitur vel probatur. Primum est, corporis læsio: secundum, temporalis penuria substantiæ: tertium, detrimentum honoris: quartum, carorum offensio vel subtractio: quintum, tranquillitatis mentis quæcunq; perturbatio. Istud tamen omnia priora sub se cõtinet, licet etiam per se singulariter aliquoties valeat discerni, & sine aliis reperiri, vt sublata aliqua lætitia vel consolatione minùs vtili vel nociua. verbi gratia: Vt cum propter pluuiam vel aliam innoxiam causam nõ possumus spatiari, vel alios conceptus animi perficere pro libitu. Cum autem turbamur pro defectu iustitiæ, vel nocumento salutis æternæ, hæc turbatio non est impatientiæ deputanda, sed zelo iustitiæ & virtutis, nisi sit immoderata vel indiscreta. Vnde ad Corinth. Tristitia quæ est secundum Deum, pœnitentiæ in salutem stabilem operatur, &c. Patientia directè opponitur vitio iræ, sicut charitas Dei opponitur acediæ, & charitas proximi inuidiæ, humilitas superbiæ. Sicut autem iræ vitium hominem stultum, & furioso similem reddit, iuxta illud Iob: Virum stultum in-terificat iracundia: ita patientiæ virtus sapien-tem

Passio vna de nascatur.

aliquoties per se discerni, & sine aliis reperiri.

2. Cor. 7. 26

Iob 5. 2 Patientia sapientem virum ostendit.

T tem

Psalm. 19,
8. 10

1. Reg. 3, 13

Patientia
ceteris
virtutibus
est affinis.

cap. 30.

e. 2. 101

11. 10. 101

11. 10. 101

11. 10. 101

11. 10. 101

rem ostendit. Proverb. Doctrina viri per patientiam noscitur. Sicut ergo pro praedictis quinque causis se non turbare, virtus patientiae est; ita pro defectu iustitiae non turbari, vitium est teporis vel obstinationis. Pro se enim quilibet contristari debet pro praeteritis defectibus iustitiae, & tunc est virtus poenitentiae; pro praesentibus, & tunc est feruor proficiendi; pro futuris, & tunc est cautela timoris. Item pro proximis contristari debet homo; moderate tamen pro temporalibus eorum defectibus; amplius autem pro spiritualibus, & quae pertinent ad salutem animae. Ad hoc autem maxime praelati tenentur, qui si patienter subditorum vitia tolerant non corrigendo pro posse, ex hac patientia non gloriae meritum sperare debent, sed iram Dei; cuius damna & iniurias, cum cauere & prohibere debuerint, tolerando fouerunt. Vnde & Heli, quia filiorum suorum mala non acriter redarguit, iram Dei cum poena sensit. Et quamuis aliqua differentia esse videatur inter patientiam, & fortitudinem, & constantiam, & magnanimitatem, & longanimitatem, & mititatem, & mansuetudinem; sicut etiam ex eorum definitionibus colligitur, tamen saepe vnum pro altero ponitur, & mutuo se inter se definiunt vel describunt. Patientia, est honestatis causa, rerum difficultium voluntaria permissio. Fortitudo, est immobilis inter aduersa animi laborum & periculorum aequa susceptio. Constantia, est inter fluctuantes causas & personas nulla mentis trepidatione concuti. Magnanimitas, est difficultu spontanea & rationalis aggressio. Longanimitas, est spes cum longa expectatione bonorum. Mititas, est quam mentis asperitas seu amaritudo non afficit. Mansuetudo, est animi tranquillitas, alterius non cedens im-

probi-

probitati. Possent etiam singula istorum singulis tolerandis quoquo modo appropriari. Verbi gratia: Patiens dici potest, qui dolores æquo animo tolerat, vt Iob, Tobias. Fortis est, quem tentationum certamina non enervant, vt Ioseph. Constans, quem terrores & labores non pusillanimum faciunt, vt Machabæi. Magnanimus, qui ardua & difficilia aggredi non expauescit, vt Dauid, Ioannes Baptistæ. Longanimis, quem longa expectatio à spe desiderij non frangit, vt Abraham. Mitis est, qui odientium iaculis nequaquam irritatur, vt malum pro malo retribuatur, vt Moyses. Mansuetus, qui corde tranquillus est & moribus tractabilis, vt Ioannes Euangelista.

Ad quid valet patientia.

CAP. XXXVI.

VALET autem virtus patientiæ ad multa. Primò tolerabiliora reddit præsentis vite incommoda: quia aduersitas quando cum impatientia est, triplex incommodum dat: extrinsecus homo affligitur, & intrinsecus per impatientiam amaricatur, & insuper mala conscientia rodit mentem pro reatu culpæ. Secundò, patientia est magna mentis refectio: quia sicut corpus pascitur conuiuio; ita mens virtutum dapibus saginatur. Tertiò, magna est ædificatio proximorum, & tanto maior quanto rarior. Plures videmus castos, abstinentes, pauperes, semetipsos humiliantes, elemosynas facientes, orationibus instantes, bona dicentes, fide constantes: sed paucos admodum in contumeliis, & detractionibus & despectionibus humiliter patientes. Excusamus & defendimus nos, ne fortè alij scandalizentur de nobis, putantes nos esse culpabiles si taceamus:

Patientia effecta.

Patientia rara est.